



P 4

~~Q 7.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-49.

SIGNAT. ccccxxiiii.

Primaria & ultimam differentia  
idem qui obtulit ceteras  
cun-ianae in Biblioth. in  
volam. Diff. Verus dicit. Et  
repetant, excedit.

28

29

L. D. B. V.

DE

# FORMVLIS CAVTE LOQVENDI

CIRCA

## FIDEM SAL- VIFICAM,

PRAESENTE

L. CHRISTIANO REVTERO,  
THEOL. LVTH. IVXTA AC METAPH. PROF.  
PVBL. ET PASTORE AD AEDEM SS.  
TRINITATIS APVD SERVE-  
STANOS,

AD D. XIII. MAII. M DCC X.

H. L. Q. C.

DISPVTABIT

IO. CONRAD. CHRISTIAN. SCHRICKELIUS,  
SERVESTANVS, PHIL. ET THEOL. CVLT.

---

SERVESTAE,  
TYPIS IOHANNIS DANIELIS MüLLERI,  
ILLVSTR. ANH. GYMN. TYPOGR.

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
**C A R O L O**  
**G V I L I E L M O ,**  
ANHALTINORVM PRINCI-  
PI, SAXONVM, ANGRIVARIENSIVM ET  
WESTPHALORVM DVCI, ASCANIENSIVM  
COMITI, SERVESTANORVM ET BERNBVR-  
GENSIVM, NEC NON IEVERENSIVM  
ET KNIPHVSiarVM DY-  
NASTAE,

*DOMINO SVO CLEMENTISSIMO*

has studii sui Theologici Primitias in humili-  
mum subiectionis testimomium

*deuote ac submissē*

dat, dicat, consecrat

Ioh. Conrad. Christianus Schrickel.

**Q**uae perturbatae sunt variaeque temporum conuersiones, usu uenit, vt, quae disputata satis, tum comprobata firmis rationibus, atque omnino confecta et stabilita existimari poterant, nouis sint communienda stabilimentis, aut multis saltem uerborum cautionibus contra pericolosas uocum ac formulorum implicationes ita distinguenda, vt ne falsum cum uero unius sub specie aut forma commisceatur. Quam curam adhibendam putauit ipse Dei Spiritus, iussitque τὸν ἀντὸν λέγειν <sup>1</sup> Cor. I, v. 10. λαλεῖν ἀπέστει τὴν ὑγιανθῆν διδασκαλίαν Tit. II. v. 1. Conf. Actor. XXVI, 22. <sup>1</sup> Tim. IV. 7. VI. 4. 5. <sup>2</sup> Tim. I. 13. II. 16. Christi enim coetus debet consistere ex iis, qui sunt κατηγορούμενοι ἐν τῷ αὐτῷ νόμῳ καὶ τῇ αὐτῇ γνώσει <sup>1</sup> Cor. I. 10. quisentiant, & loquantur idem de diuinis, uti habent εἰς σῶμα καὶ εἰς πνεῦμα εἰς μίαν ἐλπίδιον, uti eorum est εἰς Κύριος, μία πίστις, εἰς Βασιλείαν, εἰς Θεὸς καὶ Πατρὸς πάντων. Eph. IV. 4. 5. 6. Antiquae Ecclesiae Doctores eodem, diuinitus excitati, respectarunt, ut sana doctrina commodis etiam loquendi rationibus exprimeretur, propositaque à male docentium inuolucris et uocum tricis conseruaretur. Exemplo nobis sunt illi, qui contra Arianos maxime, et Pelagianos cum Athanasio et Augustino ueritatem asseruerunt. Quanquam ipsi etiam Patres, non omnium semper aut antegressionum, aut futurorum Ecclesiae fatorum satis obseruantes, iusto leuius, aut durius, aut confusius non raro loqui sunt, vt uiderunt, et deprehendunt ac testantur omnes, qui antiqua monumenta pertractant. In sumمام de hoc negotio legi potest Chemnitii Oratio de lectione Patrum, quam praefixit Locis suis, tum et Schleetus

A

in

in Medulla Patrum. Maxime uero ad caute in Theologia et fidei disciplina loquendum comparata sunt *Symbola*, *Libri concordiae*, *Libri normales*, *Corpora Doctrinae*, *Confessiones*, *Hypotyposes*, et quae plura huc iure reuocantur. Vt iuero haec talia pro ratione certi cuiusdam temporis sunt condita; ita conditio alius temporis efflagitare potest, vt noua, aut nouis cum cautionibus instructa Symbola constituantur. Principio ueritatis restauratae ad hoc institutum de uerbis sermonibusque puris et distinctis usurpandis animum operamque conuertit praeter *Lutherum*, *Melancthonem*, *Brentium* aliasue, *Urbanus Rhegius*, Theologus Lutheranus praestantissimus. Publico enim & communi usui dabat *libellum de formulis caute loquendi*, cum Pontificii sua loqui non desisterent, neque ex unius religionis sociis aequas quidem omnes et satis convenientes loquendi rationes perpetuo sequerentur. Qui Viri prudentissimi labor tanti semper fuit habitus, ut, quemadmodum *Grabinus* enarrat, plus fere, quam septendecies denuo typis fuerit exscriptus. Optandum, vt hodie quis imitaretur *Rhegium*, atque in tanta loquendi et scribendi aut licentia, aut leuitate, aut temeritate, explicaret et ostenderet, quaenam verba, phrases, et loquendi modi adhiberi possent ad res Theologicas omnium efficacissime, tutissime atque utilissime a Theologo Doctore efferendas, vt *Martinus Hundius*, Theologus Duisburgensis, in quadam disputatione ostendere conatus est. Est diligentia illa in omnibus locis necessaria, praecipue uero, ubi de Deo loquimur. De illo enim debemus recte et pie sentire, et reuerenter loqui, ne absurdis et prodigiosis loquendi formulis sanctum Nomen Dei inuanum

uanum assumamus, ait *Clementius* Tom. 1. LL. pag. 181. Igitur cum de diuinis differimus, cum cautela et modestia est agendum, ne, ut *Hieronymus* dixit, ex uerbis inordinate positis haeresis adducatur. Atque hoc contendit praesens institutum, eoque consilio de *formulis fidei*, bono cum Deo, breuissime quaedam, ceteris ampliori commentationi reseruatis, propone-  
mus.

## I.

Fidei in Theologia tractandae uocabulum maxi-  
me propria et praecipua significatione indicat  
assensum firmum fiduciamque lætam in Chri-  
stum Seruatorem collocatam.

In praesenti ergo non disquirēmus de *fide legali* in genere, qua ex mandato diuino obstringimur, Deo dicenti et disponenti cum amore et quiete fidere, in eoque officio nostro fideles sancti et constantes manere: Quali etiam fide suo ordine et modo obligati hominibus tenemur, ut amoris atque integratis, tum iustorum, dictorumque et conuentorum constantia homines inter ipsos constat. *Fides historicā* ut *communi* illa esse debet erga omnia in S. Scriptura proposita credenda, hic etiam in plena sua amplitudine non est trahenda, ut nec tali modo omnis *fides objectiva* hoc pertinere intelligitur. Quoad eadem de *toto Religionis, aut Christianismi statu* aliquando usurpatur, sub explicationem nostram pari modo non cadit. Omnium uero minime consideramus *fidem mirificam*. Agere autem de *fide*, ut uocamus, *Euangelica* atque il-

la maxime fiduciali, nostrum est, quod explicandum suscepimus. Ad hanc enim cetera fere omnia respectant, quae in SS. fidei titulo insigniuntur. Agitur sub nomine fidei de ueracitate Dei: de promissionibus: de doctrina fidei: de miraculis in nomine Iesu praesertim: de professione et statu fidei seu totius Christianismi, item de Vaticiniis eorundemque complementis agitur, id vero omne fidei titulo pertractatur, ut credamus, Iesum esse Christum, atque ita confidentes habeamus gratiam diuinam et uitam aeternam. Ioh. XX. 31. Quae hinc in monitionem subiicienda essent, redibunt in sequentibus. Conf. Flacius, Rauanellus, Chemnitius de uoce.

## II.

Fiducia ista exoritur per gratiam Spiritus S. ex cognita ac considerata, et assensu comprobata ueritate de Christo et gratia Dei reuelata.

Priusquam aliquid credamus, in eo que confidamus, necesse est, illius rei habeamus Notitiam, ut cognoscatur, utrum res eius sit conditionis, integritatis et efficaciae, ut fidem in istam collocare queamus. Per fiduciam aestimationem nostri, et cuiuscunque alterius rei, in salutis quidem causa, deprimimus infra auctoritatem diuinam. Quaenam igitur haec sit auctoritas, cuiusue naturae, cognoscendum est fundamenti omnium primi loco. Gratia et salus aeterna homini suppeditanda est, sed hic ipse cognitionem hac de salute possidere debet. vid. Hab. III. 14. 1 Cor. I. 5. Eph. I. 17. 1 Tim. II. 4. Veritatem publice atque atque ultro confiteri, inuocare Deum, laetari in Christo

Christo, sunt effectus fiduciae: Fiducia autem est ex cognitione: Cognitio est ex verbo praedicato: Praedicatione a ministro Dei proficiscitur: Hic uero est ex missione Dei. Ita colligit Paulus. Rom. X. 9-15. Arque haec notitia uti adesse debet in fide prima et directa; ita consistere eam oportet in fide secunda et reflexa, quae dicitur. Hinc est, quod iustificatio et gratia Dei, ipsa etiam salus aeterna et laetitia spiritualis cognitioni adscribitur. Es. LIII. u. Io. X. 15. 2 Tim. I. 12.

Cauendum igitur a via ista fidei interna, quasi is optimus demum fidei status eset, si non cogitaremus in eodem de Deo, aut de poena, aut de paradyso, aut de inferno, aut de morte, aut de aeternitate, ut anima neque sui, neque Dei, neque ullius rei recordaretur. vid. D. Mayeri Dissert. Select. de Quietist. Voluntatem animae per Spiritum S. immediate tangi absque praevia intellectus cognitione, et per actus anagogicos Deo suavitenter sic solam sine commercio intellectus uniri, commentum est tenebricosorum Mysticorum. Protecto, ut malefana rimandi et peruestigandi curiositas hic, ita omnis caliginosa resignatio et demissio in Dei naturam lucentem et calefacientem et absorbentem, ut fingitur, abesse debet. Theologia aut fides, in qua neque ratio, neque mentis motio ulla, neque operatio, neque idea aut conceptus, neque habitus, aut actus deprehendatur, sed in perfecta mentis suspensione ac cessatione circa omnia plenaue morte consistat, Auctoribus istis somniantibus relinquatur. Suam hi ipsi naturam abnegant, quam Deus sapientissimus non solum truncumue, sed eam condidit, quae factas qui-impressions pati, sed circa res impressas ipsa etiam mouere se in facultatibus suis deberet. Paulus A-

postolus ueritatem cognoscebat ex immediata Spiritus operatione, interim argumentabatur ipse, inuestigabat, unum ex alio argumentando colligebat. Rom. III. V. VI. VIII.

*Fides simplex* omnino potest ualere, si ad Paulinum sensum explicatur 2 Cor. XI. 3. uti opposita est superbae mundi sapientiae; uel si intelligitur de hominis aut iunioris aut imbecillioris fidei conditione, qua omnes et singulas, maximas minimas fidei ueritates non distincte quidem in semetipsis, sed in communia earum principio eiusmodi homo credit, easdemque tamen etiam magis explicatas ultro acceptat et tueretur. Sed illa *implicita fides*, ubi, praeter auctoritatem aut hominis aut credentis Ecclesiae factamque ad istam prouocationem, nulla distincta datur rerum credendarum notitia, aut obscurissima saltem, cum Papaeorum carbonaria tetur et obscurum et horrendum est monstrum. In fide enim simplici, innocia illa quidem, *cavendum est*, ne capita fidei necessaria praetereantur, aut perpetuo negligantur in ignoratione. Debemus enim esse et per gradus fieri πεπληρωμένοι πάσῃς γνώσεος. Rom XV. 14. Col. II. 10. IV. 12. Ita omnibus est elaborandum, ut ipsorum fides quam minime implicita, quam maxime vero sit distincta, ut dicere ualeat credens: οἶδα γὰρ πεπιστευα καὶ πέπεισμαι 2 Tim. I. 12.

*Fides latitudinaria*, quae nulla debeat esse alia, quam assensus dogmatibus diuinis datus, quae Dei obedientiam amoremque proximi, prescribunt, quaeque non multum solicita sit de Personis Diuinitatis, aut Christi naturis, uel satisfactione, aliisque res est periculi fallaciaeque plenissima, quam tamen, cum Duces habeant summos

Summos viros, *Spinozas*, *Hobbesios*, *Grotios*, *Erbertos*,  
*Episcopios*, *Curcellacos*, *Chauinos*, Supremi fere in mundo ac sapientes seculi omni cura persequuntur. At uero hi sunt, quos Paulus describit 2 Tim. III. 7.8.  
1 Tim. VI. 3. 10. II. 22. 23. v. A&t. Erud. Lips. A. 1697.  
M. Nou.

### III.

**Fiducia, Assensus et Notitia** etsi sunt actus unius  
mentis in fide vera coniuncti: diuerso tamen  
modo uersantur circa obiectum credendum.

*Notitia* enim illud considerat quatenus est, existit,  
et proponitur, idemque illud in conditionibus suis cre-  
dibilitatis et auctoritatius, in quibus proponitur, *con-  
templatur*: *Assensus* idem ut uerum atque in principiis  
suis ut certum et bonum approbat: *Fiducia* vero idem  
respectat ut sibi ipsi bonum, in quo tanquam in certis-  
fimo medio uel efficacissima causa suauiter acquiesce-  
re posse, per istam nimirum se habere et consequi  
posse omne illud, quod ad salutem sibi sit necessarium.  
Ita ex reuelato uerbo cognosco, esse Iesum Saluator-  
rem: Rerum argumentis conuictus idem assensu ap-  
probo: Confido tandem prorsus et acquiesco, cum  
intelligam, Christum eiusque merita ad me quoque  
salvandum pertinere. Ex quo intelligamus, *fiduciam*  
aliud quid suo ordine esse, quam *spem*. *Spes* enim ad  
futura dirigitur; contra autem fiducia semper habet  
aliquid bonum praesens et ad se pertinens, *in quod  
tendat, tanquam in certum ac sufficiens et praesens medium  
arduum per illud bonum obtinendi*. Ita fides in mente  
hominis non tantum rem promissam repraesentat, ac  
fi

si iam existentem, sed maxime fundat in nobis res speratas non ratione promissionis solum, uerum praesentem etiam certissimam causam tenet ratione earundem possessionis et aditionis, quae causa apud me est, facitque, vt res speratae ad me pertineant. Nimirum Christi iustitiam fiducialiter teneo: haec fundamentum praesens est, quod fundat in me uitam aeternam, facitque eam mihi et in meum solarium certam, vt de aditione eiusdem nihil dubitem, propterea quod habeam medium non fallens, quod res speratas ac sperandas mihi acquisiuit, et offert, et largitur. *Iam quacri hic posset, num notitiam et assensum dicere deberemus aut partes essentiales, aut praesupposita, uel antecedentia fidei, aut interiores actus uel gradus fidei? ubi respondendum existimamus, omnia suo modo iustaue explicatione ualere posse, cautius tamen agi, si notitiam et assensum gradus essentiales uocitemus, ne fiduciam aliquando his sine posse esse, cogitandi occasionem nullus queat suscipere.* Fiducia enim est intellectualis, Col. II. 2. et si ultimos gradus habeat in uoluntate. Atque in illam rem posita est grauior Fechtii sententia: *Intempestiuam et damnoſa ſubtilitas eſt, notitiam ex partibus fidei eliminare, et ad conditiones, quae neceſſario ad eandem praequiruntur, referre, Syllog. Controuers. Disp. 40. n. 1. Conf. Schomer. Controuers. p. 132.*

In intellectu autem cum dicimus, adesse debere notitiam ad fidem, satis conſtat, *notitiam illam non eſſe nude ſpeculatiuum, ſed natura fineque ſuo practicam, ad commouendam uoluntatem eamque mutandam directam.* Non proprie aut conuenienter satis *fides* dicitur *intellectualis seu fides cerebri.* Fides ad uoluntatem pertinet, ſed notitia de fide eſt in intellectu, respiciente

ciente tamen ad uoluntatem. *Recte Amesius in Medull. Theol. p. m. 235.* qui fidem collocant in intellectu, necessariam tamen fatentur (fateri certe debent) esse aliquam motionem uoluntatis ad assensum praebendum. Conuictia sunt, ex reprehendendi libidine atque ex odiosa, Christianis hominibus indigna temeritate orta, quando multa coniiciuntur de fide cerebrina, et pure intellectuali, quam loco fidei cordis mentiamur, quaeque figmentum sit, nullam aliam originem agnoscens, quam cerebrum pseudo-Dotorum. Quantum malum est Zelus sine circumspetâ prudentia et Christiana charitate !

#### IV.

Fiducia haec nullum aliud principium immotae certitudinis suae, aut fundamentum habet, quam Dei reuelantis atque per ipsum operantis et testantis verbum.

Igitur omnia hic ad Deum referuntur, Deique *Sapientia* potentissima, et sanctissima *Integritas*, tum *Veracitas* minime fallens, ac *Benignitas* summa, pro demonstratione consistunt. Ille enim hunc saluandi modum in Christo ipse patefecit, atque in uerbo ad susceptionem proposuit, Es. VIII. v. 20. Luc. I. 20. Luc. XXIV. 27. et 44. Ioh. XX. 31. Act. X. 43. Rom. I. 17. XVI. 26. Eph. I. 9. 10. 1 Tim. II. 6. *tubet* idem Deus et grauissime exhortatur, ut haec salutis ratio, sub periculo amittendae salutis, admittatur. Es. XXX. v. 21. Marc. I. 15. Ioh. V. 24. VI. 39-40. Act. XI. 38. Act. XVI. 31. Marc. XVI. 16. *Iure iurando* haec omnia Deus confirmat Ebr. VI. 18. Neglectum huius consilii Deus aliquando *uindicare* minatur Ioh. III. 18. Ioh. XII.

48. Idem benignus Deus per *Spiritum S. operatur et con-*  
*firmat* hanc fidem in corde credentium, atque arrha-  
bonem largitur, uid. 2 Cor. I. 18-22. Rom. VIII. 15. Gal.  
IV. 6. Atque adeo fides nostra non in persuasoriis hu-  
manae Sapientiae uerbis, sed in sapientia, veritate et  
uirtute diuina fundatur, 1 Cor. II. 4. 5. Accedunt a  
parte rei indicatae alia, vt pote, *evidentia signorum*, seu  
uerborum, sensum nobis exprimentium: *Cohaerentia*  
*rerum cum Natura Dei* benignissima; et ex altera parte  
cum *conditione humani miseri* subleuandi status. Inde  
nostram ipsi obligationem perspiciamus, res a Deo  
in salutem propositas magnificiendi, aestimandi at-  
que acceptandi. Et quo maiore fiducia in Deum e-  
iusque ueritates prouehimur, eo magis officium no-  
strum in amplificanda gloria diuina explemus. *Qui*  
*ultra sapere vult*, quam Deo placuit, se, et uoluntatem  
suam reuelare, obedientiam certe ipsi Deo non pre-  
stat, sed irreuerenter potius arrogat sibi, quod Deus  
ab ipso uoluit alienum esse, et in periculum se conicit  
indigna et aduersa de Deo opinandi. Ita rectissime  
*Schomerus* in Theol. mor. p. 274. Igitur Ratio i.e. ho-  
minis, maxime in peccata prolapsi, naturalis atque  
*extra* reuelatam ueritatem diuinamque sanctificatio-  
nem posita intelligendi et iudicandi facultas, nihil hic  
ualet, praeter quendam ordinem in probandi et de-  
monstrandi argumentis externum suppeditare, aut  
similitudines quasdam ex rebus, natura notis, institu-  
ere. *Qui* concordiam rationis et fidei in reuelatis  
docere instituerunt, suam fingendi alacritatem, non  
probandi felicitatem asseruerunt. *Qui* argumenta-  
superius allata ad merum *Probabilissimum moralem re-*  
*ferunt*,

ferunt, horrendum in modum detrahunt de Numi-  
nis summi auctoritate. *Quod si uero buius certitudinis*  
momentum ponatur in experientia spirituali, in gu-  
stu et sensu, uiuidaque perceptione gratiae diuinioris,  
interius in nobis agitantis, *cavendum* est diligentissime,  
ne quid sentire uelimus, quod sentiri proprie in natu-  
ra sua non potest, aut ne *figuratas* SS. locutiones pro  
*propriis*, neque ut affectus per contemplationem ani-  
mae in corpore etiam excitatos pro *sensatione ipsius ob-*  
*iecti* uenditemus. *Aliud est*, per considerationem  
gratiae Diuinae laetitiam excitatam sensu deprehen-  
dere, vt corpus et anima in Deo uiuo exultet, Ps.  
LXXXIV. it. Luc. XXIV. vt lacrymae, plausus, gemi-  
tus, cantiones producantur : *Aliud uero est*, Deum  
ipsum inhabitantem et operantem sentire, id quod  
pluribus a me deductum in libr. de foederib. et testam. P.  
I. p. 99. 100. seqq.

## V.

Illud, in quod fiducia tanquam in centrum seu ob-  
iectum suum immediatum et adaequatum,  
tendit, est Christus per satisfactionem suam  
plenus Redemptor et Saluator meus.

*Paulus*, recordatus peccatorum, confugit ad Chri-  
stum tanquam ad obiectum *Personale*, Gal. II. 20. 1 Tim.  
I. 15. 16. Gal III. 13. Eodem se recipiebat *Thomas* Ioh.  
XX. 28. et *Petrus* Act. IV. 12. X. 43. XX. 21. Phil. III. 9.  
Rom. III. 24. Ioh. XX. 31. Alias obiectum fidei saluifi-  
cae reale recte dicitur atque est *Gratia Dei, Meritum*  
B 2 *Christi,*

*Christi, tum iustificatio et salus aeterna* Act. XX. 24. Rom. V. 2. Tit. II. ii. III. 4-7. 1 Petr. I. 13. Sed haec gratia Dei, ceteraque bona, summa habent coniunctionem cum satisfactione Christi, aut consequentiam ex eadem, ad eamque respiciunt, ut effectus producti ad causam effectricem et confirmantem. Quod enim Deus nos firma, stabili, atque in plenum effectum, ad uitam etiam aeternam tendente, gratia prosequitur, et auctu operatur salutem nostram, illud omne est a promissa dataque Christi mediatoris satisfactione. *Hinc gratia Dei in SS. uocatur gratia in Christo* Rom. VIII. 39. 2 Tim. II. 1. Eph. I. 6. Rom. V. 10. Gratia per Christum Ioh. I. 14. Rom. V. 21. Gratia Christi, Act. XV. II. etc. *Parimodo integrum Euangelium atque promissiones de Christo conuenienter declarantur* ut obiectum fidei saluifcae, sed ut *mediatum et instrumentale*, cuius beneficio de Christo erudi, nur et ad Christum reuocamur. Ultimo igitur in fiducia reducuntur omnia ad Christum, tanquam *ad Causam integrum et fundamentum praesens*, ratione cuius gratia Dei, et salus aeterna, omniaque ac singula huc ducentia media, revelationes ac promissiones, et stabilimenta credentibus exhibentur, conferuntur, atque in possessionem quasi suppeditantur. Itaque cum docetur a quibusdam Democritis ad methodum Arminianorum, obiectum fidei saluifcae esse totum Christum, eumque non tantum ut *Saluatorem* in officio sacerdotali, sed etiam ut *sanctissimum Dominum* in officio regio, in quo gubernet homines et sanctificet, respicendum esse, *cavendum est*, ne posterius illud reuocemus ad articulum de iustificatione atque ad caput de fide fiduciali. In his enim partibus Christus consideratur,

tur tantum ut *Mediator* et *Satisfactor* pro hominum peccatis; nondum uero ut *uitae sanctae Dux* et *impulsor*, vt pote quod ad caput de *Renouatione* pertinere, notum est. Porro hac in Thesi illud *obseruandum*, aliud esse quaerere de Obiecto fidei, qua sumitur pro *assensu mentis*; aliud, qua consideratur, vt *fiducia is uoluntatis actus*. Priore modo plura, eaque dispara- ta, potest habere obiecta, sed posteriore notionē u- num tantum retinet immediatum, quo tamen alia etiam plura, tanquam lineae aut radii in centrum, pertinent ac colliguntur uel ut antecedentia vel ut consequentia. Vid. *Wölfflinus* de Obligat. cred. in Christum p. 40.

## VI.

Natura igitur propria et conditio formalis fidu- ciae in eo consistit, quod homo, propter agni- ta ex lege diuina peccata perturbatus, obla- tum et demonstratum in Euangilio Christi meritum integrum aido animo *suscipit*, in eoque prorsus et omnino *conquiescit*, tan- quam in praesentissimo medio, cuius ui et efficacia peccatorum reatibus et malis libera- ri, plene cum Deo sanctissimo et reconciliari, et uniri, tum haeres uitae aeternae constitui, et fulcimenta contra omnes fortunae casus et prolapsones, ex imbecillitate ortas, habere possit.

Duo ergo sunt fidei actus praecipui formales : *Suscep-*  
*tio individualis, et Confidentialia quieta*, ubi tamen alterum priorem, posteriorem alterum et *supremum* actum dicamus. Ille per uoces appropriationis, receptionis, complexus applicationis, refugii in SS. exprimitur. Io. XX. 28. Io. I. 12. Cant. II. 8. III. 4. Ps. II. 12. Hic uero per acquiescentiam, fiduciam, recumbentiam in tuto loco, adhaesionem, consistentiam, indicatur. Ps. II. 12. XIII. 6. Ps. XVIII. 1. 31. LXXI. 6. Es. X. 20. LX. 4. Gen. XV. 6. Exemplo nobis sit David, qui, *Iebouah*, inquit, *Pastor meus* (en receptionem audiissimam!) non carebo. *Omnino bonitas et misericordia persequuntur me omnibus diebus uitae meae, et quietus ero in domo Iehouae in longitudinem usque dierum.* (En confidentiam!) Ps. XXIII. 1-6. In Pauli fide idem deprehendebatur. Deus pro nobis (en appropriationem!) quis contra nos? quid nos separat ab amore Dei? (en summatam confidentiam!) Rom. VIII. 31. seqq. conf. Math. IX. 2. 22. Igitur cum cautiose accipiendo est, cum, Socinianis ac Limborchianis aut Weigelianis nugis conuenienter, docetur, *fidem esse dispositionem ad sanctitatem: esse obedientiam nostris Christi mandatis praestitam: esse nudum desiderium gratiae anxium: esse cultum internum perfectum absque ceremoniis: esse summatam pietatem in Deum Creatorem: Christum in nobis habitantem esse ipsam fidem, et fidem esse Christum: Deum, sanctitatem, iustitiam inherenterem esse unum idemque.* Confusa sunt et implicata uerba noui scripturientis Auctoris cuiusdam, cum sequentem in modum de fide differit: *Der Glaube ist nichts anders / als das Fleisch durch des Geistes Geschaffte tödten / sich zu Gott wenden/die Wiedergeburt/das Erkäntniß Christi um Gottes/die Vereinigung mit Gott/die Einwohnung Gott-*

**G**ottes in uns / Christus in uns / das Leben Christi in  
uns / welches alles eines und mit einem Worte die neue  
Gebuhrt oder der Glaube ist. Qui mos est hominum  
confuforum, scriptitare libellos, conuasare ex aliis,  
quiritari, loqui horrenda cum grauitate; et summis  
cum obtestationibus, calumniari audacter et maledi-  
cere; dicta, scripta, facta aliorum leuissime habere et  
abiicere, ut inania et Satanica; postremo omnia com-  
miscere, confundere in unum et in terram ~~Apparatu~~ per-  
turbare: Commodo Lutherus: Es ist weder Licht noch  
Gestalt in seinen Schriften (hominis scil. fanatici) und  
möchte einer so lieb einen Weg durch Hecken um Busch  
brechen/als seine Bücher durchlesen. Aber es ist ein  
Zeichen des Geistes. Der heilige Geist kan sein hell/  
ordentlich und deutlich reden. Der Satan mun-  
melt und käuet die Worte im Maul/ und mischet das  
hundertste ins tausendste/dass es Mühe kostet/che man  
vernimmt/was er meinet. De Coelest. Propb.

## VII.

Fides ultimata natura sua unus tantum supremus,  
ab aliisque circa se positis distinctus est actus,  
scil. actus confidendi.

In multis uersatur actibus mens nostra circa fi-  
dem. Cognoscit, inuestigat, considerat penitus, di-  
splicet sibi, et horret statum, in quo est, pia affectione  
et reuerentia in Deum dicitur, impellitur desiderio,  
quod fames et fitis dicitur in SS. Matth. V. 6. Inclinat  
se, amat, laetatur, sancte de officiis suis cogitat, o-  
mnia

mnia, quae Dei sunt, magnificat, sperat, exultat. Ita  
aggregatum quid reperimus ex multis actibus, iisque  
ad unam animae facultatem non pertinentibus. Sed  
hi actus inconfuse inuicem sese permeant in intelle-  
ctu et uoluntate, et dulci  $\sigma\zeta\nu\gamma\alpha$  mutuo se promo-  
nent, vti quidam fiduciam ipsam antecedunt, quidam  
circumstant aut consequuntur. Hoc tamen manet,  
inter eos actus unum aliquem praecipuum esse, in  
quo ipsam essentiam et formalem rationem fidei, qua-  
tenus ad Christum atque ad iustificationem respicit,  
consistere, existimamus.

*Cautissime* ergo hic procedendum est, ne actus  
istos in se distinctos confundamus. Amorem *circa*  
fiduciam esse, neque per ipsam rerum naturam abes-  
se posse, satis constat. Interim eo quasi momento  
atque aetu, quo amo, non aequa confido. Amo Deum  
propter excellentiam diuinae bonitatis, ac praestan-  
tiae: confido in ipsum et acquiesco, quod mihi beni-  
gnus est, et salutem suppeditat in Christo. Fides adeo  
ad nostram ipsorum utilitatem magis respicit, et ad  
Euangelium maxime pertinet: Amor uero magis in  
aestimandam Dei praestantiam perfectissimam ex  
Lege fertur. Cum de salute mea perturbor, confido  
Deo, in Christo salutem conferenti: Cum de officiis  
meis, Deo sapientissime mihi ita consulenti praefun-  
dis, cogito, in amorem excitor. Prius ad iustifi-  
cationis; posterius ad Renouationis caput prorsus et  
omnino spectat. DEVS etiam amat homines,  
contra autem non confidit in hominibus. Vnde,  
quantum amor differat a fiducia, satis constare, puto.  
Vid. Schomerus in Theol. mor. cap. 7. et 8. Igitur cum  
talia occurruunt apud Auctores: *fidem esse compositum*  
*quid*

*glori*

quid ex multis actibus, continere illam ueniae spem, dilectionem Dei, dolorem de peccato, nouae uitae propositum, omnes ad seriam conuersionem et renouationem partes, operationem per charitatem, neque fidem ullo modo aut distincta notione, aut ne ullo momento sine his posse concipi, luculentissime patet, quanta confusio adducatur, quamque imprudenter ampla et odiosa rixandi et altercandi detur occasio. Ita coniungenda sunt distincta, ut non fiat commixtio, uel exaequatio aut transmutatio rerum distinctiarum. Optime Witsius: Probe obseruandum in negotio iustificationis, ne quis nonnullos charitatis actus, fidei praxi diuersimode implicitos, ad causas iustificationis trahat. Oeconom. foed. lib. III. c. VII. num. 6. conf. Melanchthon et Chemnitius in Loc. Theol. Cap. de Iustif.

## VIII.

Vera ac formalis fidei uita consistit adeo in laetissima beneficiorum Christi satisfactoriorum acceptatione, in serena animi tranquillitate conquiescente.

Id uiuere dicitur, quod in actu suo formaliter, proprio uigore existit, ut uita adeo fidei ex confundendi actu, non ex aliarum uirtutum exercitio, censenda ueniat. Vid. Wolffin. de Oblig. cred. in Chr. Chemnitius Loc. P. II. p. m. 244. Loescherus, Sen. de uita et morte fidei. Alioqui Christus ipse, Euangelium item, et gratia diuina, dicitur uita fidei, quod fit non formaliter et subiective, sed quatenus Christus causam suppeditat, et fiduciae fundamentum ac materiam largitur,

C

dum

dum gratiam promeritus est, et per Euangelii ueritatem eandem *offert, confert, et confirmat*. Quando Paulus Galat. II. 20. *Christum in se*, dicit, *uiuere*, ex sermonis connexu id dispalescit, agere Apostolum de ista morali personarum commutatione, qua ipse uiuat, et in fide consistat coram Deo tanquam ipsa persona Christi in negotio iustificationis, qua de morali commutatione alio loco plura exponemus, ut partem factum in lib. de foed. pag. 59. Part. I. *Videndum* adeo hac in thesi quam diligentissime, ne uitam fidei trahamus ad alias distinctas animae nostrae uiuidasque operationes in uirtutibus. Bona opera significant, adesse in homine credente fidem et bonam gratiae usurpationem, non uero ipsa constituant uitam fidei, neque ex ipsa quasi essentia fidei, sed ex mente illuminata et sanctificata, in qua fides est, proficiuntur. Ceterum in homine improbo, in quo B. O. sunt mortua, recte etiam affero, mortuam esse fidem. Quod si enim mens depravata non uiget in uirtutibus aliis, multo mintis uigebit in fide in Deum. Iacobi Apostoli fides mortua talis erat, in qua formularum quaedam enarratio et gloriatio quidem externa, sed neque solida earundem ex ueritate deductarum agnitio, neque assensus probus, sed negligentia, torpor et oscitantia inerat, quaeque adeo ratione subiectorum credentium, ut uideri uolebant. fides fiducialis dici ne merebatur quidem, ab Apostolo etiam ex communi tantum loquendi consuetudine isto fidei titulo insignita. Quo pacto ex textu Iacobi colligi non potest, fidem in se consideratam, vt fiducialis est, absque bonis operibus esse mortuam. Habet illa post le bona opera ultro consequentia, sed ipius tamen

tamen uitam in exercitio Bonorum Operum considerare, nemo, qui ingenui coram Deo atque aperti est animi, unquam pronunciabit, qui uocabulorum saltet proprietates; et quid *confidere*, quid contra *amare*, *reuereri*, *laudare*, sit, distinguere uelit. Quomodo uero dicatur producere B. O. uidebimus clarius thesi huic rei propria.

## IX.

Fides haec uiua iustifica dicitur et saluifica non propter se et actum suum, neque ex acceptatione aut aestimatione quadam gratiola diuina, ex rigore iustitiae non omnia postulante, sed propter rem contentam, Christi scil. meritum et satisfactionem.

Plurimum semper de hac re disquisitum fuit, *quomodo fides iustificet*. Habeant Pontificii fidem suam, charitate formatam, quae gratiam promereatur. Sapientiores Morum Doctores norunt, inter Deum et hominem nullum unquam intercedere meritum. Vid. *Puffendorf. Iurispr. Vniu. th. de merito*. De aliorum acceptatione nihil etiam nouerimus. Deus perfecte iustus est, neque hominem in gratiam suscipit, nisi is secum afferat habeatque *duaiuca r̄s v̄pus*. Rom. VIII.

4. In modo saluandi per Christum, fide susceptum, est quidem interpretatio iuris diuini, sed nulla tamen remissio iuris perfecti aut stricte dicta acceptatio. Vid. *Effenius in Epist. ad Gerard. Ig. Vossium. Sociniani et Arminiani* hic idem fere sentiunt, quod tractatio

scriptorum ostendit, praeterea quoque Peltius in *Harmon. Remonstrant.* et *Socinian.* exposuit, Art. 12. Sed nihil agunt hi, quam ut detrahant de dignitate satisfactionis Christi, quae sola atque unica est materia, fundamentum et causa, quare iustificemur. Et iustificatione nostra fit secundum perfectam et rigorosam legem diuinam. Id gratiae est, atque Euangelii, quod Deus commutationem personarum admittat, atque perfectissimam satisfactionem non a sonte ipso, siue homine lapso, sed ab expromissore et mediatore Christo accipiat, et hominem ad Christum fugientem absoluat. Absolutio ergo et iustificatio sequitur propter praesentem iustitiam perfectam, legi sanctissimae conuenientem, quam in fide Christi tenet credens; uti condemnatio facta est ad exquisitissimos cruciatus in Iesum mediatorem uadem, ex perfecto legis rigore, propter praesentem reatum omnium grauissimorum peccatorum, Satisfactori impositum. Luculentissima est ueritas, Rom. VIII. 3. 4. et IV. 25. item 2 Cor. V. 21. Igitur Seruator id nobis non tam promeritus est, ut fides nostra, per gratias et liberam Dei uoluntatem, loco plenariae iustitiae haberetur et censeretur, aut sanguine quasi ipsius tinteta atque efficax reddita et elevata uim merendi et iustitiam diuinam commouendi acciperet, postquam habitus gratiae formaliter iustificans uirtute meriti Christi infusus esset, sed ut inmediate, solitarie et effectuue omnis iustificandi uis resideat maneaturque in ipsis merito. Igitur modus, quo sumus nos iustitia, respondet modo, quo Christus factus est peccatum, uel hostia pro peccato. Modus autem, quo Christus factus est peccatum, non consistit in eo, quasi aliquid, quod Christus egit, in iudicio diuino fuerit aestimatum pro

pro peccato uel peccati, pretio, licet tale non fuerit,  
sed quia peccata, quae nos commisimus, per interpretationem, siue fictionem iuris diuini, sunt translata in Christum, eique imputata non aliter, ac si ipse omnia totius mundi peccata commisisset. Pari itaque ratione sumus nos iustitia in Christo, quatenus id, quod Christus praestitit, nobis per fidem ita imputatur, ut coram iudicio diuino reputemur iusti, non a littera, ac si ipsi legem Dei perfectissime in nostra persona impleuissemus; Non ergo id, quod in se imperfetum est, ui meriti Christi properfecta iustitia habetur et assimilatur; sed perfectissima, rigorique legis exactissime respondens iustitia Christi, qui satisfecit legi, poenasque debitas sustinuit, per fidem apprehensa, aestimatur pro nostra, ac si ipsi eam praestitissemus, quod alio loco pluribus propter Scripturae phrases efficacissimas cum Deo illustratur sumus. Inde facile iudicemus, quomodo fides dicatur iustifica et saluifica, uidelicet, per suam ipsius naturam, proprie et praeceps loquendo, non iustificat ullo modo, non quatenus est actus voluntatis, nec quod, uel quatenus recipit, nec quatenus est efficax per B. Opera, nec quoad actus uel opus est cum sanctitate coniunctum, nec quatenus acceptilatur pro iustitia per dispensationem diuinam, ut ualeret quodammodo propter Christum et operationem Spiritus S: Sed quia in uera fiducia continetur iustitia Christi acquisita, atque in se perfecta, hinc fit, ut REI CONTINENTI, vt pote fidei, ille effectus tributatur, qui solum atque prorsus tantum a RE CONTENTIA, iustitia Christi, profiscitur. Communis adeo docendi ratio, cum dicitur fides RELATE iustificare et saluare, ad eundem sensum contendit, vti patet ex Apologia Aug. Conf. ubi agitur de Iustificatione.

C 3

ba

ba sunt: *Quoties nos de fide loquimur, intelligi uolumus obiectum sc. misericordiam promissam.* Chemnitius sequentem in modum: *Habet fides uim et uirtutem iustificandi non inde, aut ideo, uel quod pariat bona opera, uel quod tam excellens in nobis sit uirtus, tam praestans opus, aut tam digna actio, sed correlativa intelligitur propositio.* Idem eodem loco: *Iustificat autem fides non properea, quod sit uirtus tam firma et perfecta, sed propter OBJECTVM, quod scilicet apprehendit Christum Mediatorem.* Examen. Conc. Trid. P. I. de Fid. Iustif. Id etiam multis comprobatur B. Gerhardus, in Confess. Cathol. Lib. II. P. III. Art. 23. c. IV. p. m. 1483. Hülsemanni explicatio est; neque ipse actus, inquit, uel habitus fidei est materia imputations. Quasiue Deus ita ordinauerit, ut fides imputetur pro Justitia, uel quasi Fides sit ipsa justitia, et si non perfecte. Ideo siue apprehendendo, siue obediendo se se conformet sanctitati diuinae, et admittatur talis per emineunce. Breu: c. II. th: 9.

Hanc ueritatem vt alii eo luculentius proponeant, retinuerunt quidem communem loquendi formulam, fidem nimirum iustificare RELATE, sed adiecerunt explicationis gratia hoc etiam, vt dicerent, fidem iustificare METONYMICE. Adeisse enim h. l. contendunt, metonymiam subiecti continentis pro obiecto contento: siue ponirem continentem, fidem hominis, pro re contenta, merito Christi. Huc pertinent SS. loca, quibus credentes capere, tenere, possidere dicuntur gratiam, iustitiam et Christum. Matth. VI. 20. Rom. VIII. 4. 2 Cor. V. 21. Gal. II. 21. Phil. III. 9. Col. II. 6. III. 3. Apoc. I. 5. Eodem contendunt comparationes, quas Theologi instituerunt, et fidem uocarunt Manum, annulum, gemmam concludentem: Marsupium, Vrnam, qua hausta teneatur aqua. Vid. Luciferus

*überus*, Tom. IV. Witt. Germ. 522. b. et alibi passim.  
*Hoepfnerus*. Disp. V. de Iustif. c. I. aph. 3. n. 2. *Calouius*  
Armin. p. 219, 220. Hinc colligimus, ipsum neque  
susceptionis aut relationis actum aestimari proprio  
aut imputari in iustitiam. Quo collimant *Calouius*  
uerba l. c. *Quicquid est actiuitatis nostrae in illa Filii Dei*  
*receptione, uel gratiae diuinae oblatae et collatae apprehen-*  
*sione, postquam nempe fides per SS. producta est in cordibus*  
*nostris, id ipsum certe hic in cœsum non uenit, cum de Iustifi-*  
*catione nostra agitur, adeo, ut fides etiam ipsa, quatenus in-*  
*strumentum est, recte dicatur opponi non tantum operibus o-*  
*mniibus obedientiac et pietatis, sed etiam ipsi fidei, qua opus*  
*est.*

Hunc in modum Flacius suspicatus est, in ipsa ista  
formula: *Fidem justificare RELATIVE, seu quatenus se se*  
*referat ad Christum, uideti, adhuc superesse quandam*  
*difficultatem. Intelligendum recte est, quamnam uerborum ra-*  
*cione aut sensu dicamus sola fide justificari. Etsi enim pia et u-*  
*tilis est haec sententia, quae hanc propositionem per correla-*  
*tionem explicat pro merito Christi iustificari, tamen quibus-*  
*dam uidetur non nihil esse obscura, in Lib. de Iustif. Cap.*  
*VI. VII. num. 29--33.*

Eodem contendit mens B. Dannhaueri, quando  
fidem potius dicere uoluit *SALVTICAPAM*, quam *SAL-*  
*VIFICAM*. Quibus constitutis, meridiana luce clarissi  
us esse, deprehendimus, fidem dici iustificam et fal-  
sificam materialiter propter rem comprehensam, tum  
metonymice et commutatiue, propter arctissimam unionem,  
quae inter rem comprehendentem et tenensem,  
ac rem comprehensam et contentam intercedit, in qua omnino etiam est relatio. Adeo etiam  
hic *Imputatio et aestimatio* Dei, ubi unirelatorum, sit  
uni-

unitorum addicitur atque adscribitur effectus alterius unitorum, non per et propter acceptilationem quandam, sed propter *mutuam, eamque perpetuam* nec unquam *interruptam, unitorum aut relatorum praesenziam, intimamque coniunctionem.* Praefens autem illi non est, nisi ubi iustitia Christi adest ad iustificationem. Nunquam enim est, et nusquam iustitia Christi, qua aet*u* iustificatur homo, adest, nisi in fide et cum fide: nec fides ulla uera coram Deo consistens et grata adest, nisi quae comprehensum teneat meritum Christi. De uno ergo dicitur et aestimatur, quod alterius est, quodue alteri conuenienter, et sine immunitione praestantiae suae tribui potest. Hinc in SS. *merito christi*, aut *fide iustificari*, ad unum reddit. Per prius enim indicatur *propria, effectrix et meritoria causa, fundamentum, et ratio, et materia iustificandi*: Per posterius proponitur *Ordo*, in quo homo particeps fiat iustificationis, in merito Christi fundatae et causatae. Homo enim, intellectus et uoluntatis compos, et cognationis siue communionis cum Deo particeps futurus, nosse debet et agnoscere, quid secum agatur, et tum miseriae suae, tum restauratae felicitatis intelligens fieri.

Summa adeo hac quoque in parte *cautione* opus est, praesertim cum implicatae istae disceptationes et quaestiones occurruunt, num *fides, quatenus sit efficax per B. O. uel quae operosa sit per charitatem, uel quae potentialiter sese habeat ad B. O. uel quatenus una sit in uirtutibus, uel quatenus sese referat ad christum ut Mediatorem simul et Sanctificatorem, iustificet et saluet.* Qui confusionem non amat, nec exaestuantis animi libidinem in rixando, altercando et criminando explere

plerè gestit, facile id distincte conceperit: I. Deum iudicem per gratiosam legis suae interpretationem hominem iustificare declarando, a reatu et poenis hunc esse in Christo liberum, suscipiendum esse in plenam gratiam, ius ipsi quoque, ut filio, compete-re ad haereditatem iusto titulo adeundam et possi-dendam. II. Huius iustificationis solam causam, funda-mentum iuxta ac materiam esse ipsam Christi iu-stitiam perfectam. Adeoque III. Iustificationem hanc nemini unquam fieri, nisi qui harum rerum sit con-scius, simul etiam ipse iustitiam per gratiam Spiritus S. sibi applicatam et praesentem quasi habeat, vt ad ipsam in fiducia prouocare possit. IV. Fiduci-am hanc suam habere et retinere proprietatem na-turalem, aut formalem, qua in se est actus unus, dis-tinctus, et separatus hoc quasi momento ab o-mnibus aliis actibus, quaque adeo confidit et acquie-scit, atque in hoc statu et proprio fidei actu non conuenienter satis quaeri de aliis mentis illuminatae acti-bus, qui circa fidem omnino alias reperiuntur. V. Fi-duciari istam nihil actu suo efficere aut afferre ad iu-stificationem, neque acceptilari pro iustitia perfecta, sed illud subiectum, in quo est, ita duntaxat esse com-paratum in fidè et constitutum, vt propter comprehensam iustitiam Christi iustificatio ipsi, diuinae san-ctitati et naturae humanae conuenienter fieri et ap-plicari possit. VI. Non fieri aut esse posse per re-rum naturam, vt in eiusmodi hominis anima, in qua est uerus fiduciae actus, non sint alii pluresue sancti circa fiduciā actus, antecedentes, concomitantes et consequentes. VII. De his aliis actibus alio tem-pore et ordine, non aeque in capite Iustificationis,

D

quae-

quaerendum esse. VIII. Fiduciam mortuam, fidem  
cum continuatis peccandi actibus consistentem, ni-  
hil esse, nuda esse uocabula, ubi unum, si adiiciatur  
alteri non habeat sensum, sed unius significatio sub-  
uertat notionem alterius, vt si dixerim aquam ari-  
dam, stramen ferreum, aurum plumbum, quicquid  
etiam sibi persuadeat homo improbus et securus. IX.  
Temere et inani opera disputari de *ποληρογένησις*, rebus  
nihil significantibus aut semetipsas, si coniungantur,  
subuertentibus. Aperta haec sunt, atque facilime ab  
unoquoque percipienda. Iam pari modo ostende-  
mus, quomodo fides habere dicatur bona opera.

## X.

In homine, fiduciam ueram in Christum habente,  
nunquam unus ille actus confidendi nudus  
aut solus est, sed multo plures alii sancti  
motus, et actus, circa fidem existunt, atque  
uel antecedenter, uel concomitanter, uel  
consequenter fidem circumstant, adeo, vt,  
si bona opera in homine non consequantur,  
necessario et recte colligatur, hominem  
istum non habere ueram fidem.

Quid hac de re semper, tempore maxime Pelas-  
giano et Photiniano, quaesitum et disceptatum fuerit,  
manifestum est. Quem etiam in modum Pontificis  
doceant, fidem non esse absque charitate et bonis o-  
peribus, satis constat. Nihil cum horum senten-  
tiis

tiis aut confusis formis commune habemus. Tum  
a sensu *Sociniano et Arminiano et Fanatico* omni alienos  
nos iudicari uelimus. Interim aperte sentimus, do-  
cemus et confitemur, hominem ueram fidem possi-  
denter, certe et necessario etiam habere alia sancti-  
tatis opera, nec ipsius fidei statum esse unquam sine  
circumstantibus aliis operibus bonis. Quanta uero  
id, quamque accurata cautione loquendum sit, paucis  
indicabo. Cum docetur, *fides non esse sine charitate,*  
*it, fidei procreare, producere,* B. O. unus quisque, si rem  
penitus considerarit, intelliget, uocabulum fidei su-  
mi ea ratione *tropice*, non de ipsa *natura* fidei, sed de  
ipsius *subiecto*, homine credente, siue eius *anima*, in  
qua fides est. Non enim unus actus in se considera-  
tus producit *ex natura sua*, aut essentia quasi pro-  
pria, alium diuersum a se actum, sed mens hominis  
illuminata et praeparata unum actum post alium, u-  
num etiam propter alium, excitat atque adducit.  
Scriptura ipsa quidem fidei, tanquam rei precreatrici,  
adscribit B. O. et charitatem, ut uidere est Gal. V, 6.  
Iac. II. ubi fides proponitur vt *ἐνεγγυήσην δι ἀγάπης νοὶ*  
*ἔργων καλῶν.* Nouimus autem, in SS. multa dici *tro-  
pice, abstracte, et figurate*, quae *proprie* deinde et in *con-  
creto ac simpliciter* sint explicanda. Vnde percipiamus,  
licet sensum logicum, cum fides producere et habere  
dicitur B. O., hunc esse: *Hominem, in quo est uera fides,*  
*propter illud, quod habet fidem, atque ex contemplatione*  
*status sui, habere et producere B. O.* PETRVS dicit 2 Epist.  
I. 5. *suministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute agnitio-  
nem, in agnitione continentiam, etc.* atque productio-  
nem adeo bonorum operum non immediate ad fi-  
dem, tanquam causam phisice quasi productricem,

sed adhominem, fiduciam habentem, refert, vt qui  
debeat subministrare. Idem IACOBVS confirmat, cum  
ostende, inquit, *mibi fidem tuam ex operibus tuis*, Epist.  
cap. II. 18. Atque haec quidem ea de causa affero,  
vt primo fides in sua natura ab aliis actibus et operibus  
eo melius se iungatur. Deinde ne, quando abstractae  
illae locutiones adhibentur, quis in istam adducatur  
opinionem, quasi fides in homine sit quaedam  
physica, aut ex ipsa essentia diuina immissa, uel in-  
fusa res, per se extra mentis humanae essentiam sub-  
sistens, quae primo hominis sit fiducia, deinde agat  
in mente, per se impellat, per se operetur et pro-  
ducatur. Id enim omne ita intelligendum est, vt dixi  
non abstracte, vt proponitur, sed concrete, vt propositorum  
est sensus. Scilicet in hominis per gratiam  
Spiritus S. in uerbo illuminati, et conuersi mente,  
uel anima, non tantum uiget confidentia in Christum,  
sed circa hanc confidentiam non possunt non  
a mente serio credente excitari, foueri, et per uices  
quasi agitari cogitationes et actus desiderandi, amandi,  
obediendi, sequendi, qui in ipsa deinde opera  
promanent. Quaenam uero causa sit, quare eius-  
modi actus et opera ipsi fidei tanquam causae et origi-  
ni addicantur, facile perspiciamus. Nimirum  
uel praecedentes anagogici actus, uel circumstantes aut  
consequentes alii, habent omnes atque singuli respe-  
ctum ad fidem, tanquam ad scopum, ex eiusque nexu  
et consideratione consequuntur, *quod iam erit demonstrandum*. Videlicet in fide ASSENTIOR et approbo,  
in eoque est intellectus et uoluntatis meae submissio au-  
toritati et ueracitati diuinae facta. Inest in eodem ae-  
stimatio excellentiae, sapientiae, potentiae et benigni-  
ta-

tatis diuinæ, eariundemque omnium gloria et mente  
et uoce ualida existit. Proponitur porro in doctrina  
Euangelica Christus in satisfactione sua, tanquam  
medium liberationis certissimum. Vnde non potest  
non in homine, propter peccata perturbato et anxiò,  
existere ardens DESIDERIVM, vt quaerat, anhelet,  
optet, gemit, expetat, confugiat, inuocet, quem  
admodum B. Chemnitius hos motus circa fidem descri-  
bit, LL. de Iustif. p. 251. 252. ubi agit, de gradibus et exer-  
citiis fidei. conf. Exam. Cont. Tr. Part. I. de fid. iustif. p.  
m. 294. Edit. quart. Videatur quoque Hopffnerus Disp.  
de fidei iustificantis actibus. pag. 6. Vbi uero iam est  
desiderium feruïdum, ad medium aliquod certum  
contra peccatorum reatus suscipiendum, ibi necessa-  
rio id desiderium penes se coniunctam habebit sum-  
mam auersationem contrarii, i. e. reatus illius, omni-  
umque illarum rerum, ex quibus eiusmodi reatus  
contrahi potest. Qui exoptat, expetit, quaerit au-  
xilium contra aliquod malum, et summa quidem  
cum anxietate id agit, ille per harum rerum propri-  
am absolutamque naturam non potest aliter, quam  
metuere, horrescere, odisse, quin quam longissi-  
me fugere illud malum, et omnia illa, quae nexum  
uel minimum cum isto habeant, contra quod auxi-  
lium et praesidium quaeritur. Qui medicinam exo-  
ptat, abominatur pestem: qui serpentem uehemen-  
tissime fugit, odit morsus uenenatos. In Fide deni-  
que est FIDVRIA. Atque hanc definiuimus, quod  
sit acquiescentia hominis creditis, in qua teneat  
Christi meritum, vt certam perfectissimamque cau-  
sam, per quam liberetur ab ira diuina, reatu et con-  
demnatione aeterna, contra uero ponatur in grati-

am Numinis, ius filiationis et haereditatis aeternae, omniaque illa media, quorum beneficio filius et haeres Dei esse atque manere possit. Vbi ergo eiusmodi est fiducia, ibi est laetitia, exultatio, quietes et iucundissima spes futurorum. Abest metus, et studium contra uiget, ne propter peccata commissa in metum et formidinem atque angorem, tum iram diuinam et periculum perditionis, quae facile sequi possit, relapsio fiat. Si fiat prolapsio ex imbecillitate atque ex improviso quasi, horror exoritur, et POENITENTIA ITERATA iuxta ac solicitudo summa, ut redditio ipso uestigio fiat ad priorem gratiae statum. Laetari igitur de felici liberatione ex ira diuina et peccatorum reatibus, et contra etiam quaerere et expertere occasionem ad iram diuinam: gaudere item in Christo, condemnationem auertente; et gaudere in uoluptatibus, condemnationem afferentibus, ~~et vix sunt~~ sunt, res, quae per omnem rationem simul stare non possunt. *Amplius:* Consistere coram Deo per reputationem in Christo, ut nouam creaturam, quae deposuerit impositum peccatum, idemque liquerit in sepulchro, uiuat uero iam in conspectu Dei ut sine peccato, ut in corpore, quod demortuum sit peccato; contra uero subiectum esse peccati seruum, in quo uiuant et regnent scelera, qui que adeo sit in bono et ad bonum mortuus, ut neque mens, neque corpus sua, sanctitati conuenienter, munia exequatur, eiusdem sunt absurditatis. Quibus constitutis, uel puer intelligat, *NON POSSE VERAM FIDUCIALEM FIDEM IN HOMINE ESSE, QUIN SIMVL IN IPSO SINT ALIPI SANCTI MOTVS, ET ACTVS, ALIAQVE OPERA SE QVANTVR.* Aut ergo haec talia adsint uel ordine conse-

consequuntur, aut absentia horum argumento est  
minime fallenti, non adesse ueram fidem. Eo uer-  
gebat Pauli argumentandi ratio; Wie solten wir in  
Sünden wollen leben/ der wir abgestorben sind? dicit-  
que Apostolus corpus nostrum hic loci *Syntagma*  
corpus mortuum, non quatenus in ipso adhuc est fomes  
peccati, et concupiscentia originalis in ipso habitat, seseque  
mouet; nec quatenus ex peccati reatu et depravatione est  
imbecillum et morti tandem obnoxium, ut ab omnibus fe-  
re explicatur, sed quatenus in comparatione seu commuta-  
tione morali respectatur et reputatur, in iustificationis et regen-  
erationis circulo, conditionem habens corporis Christi, quod  
resuscitatum est, ut corpus absque omni imposito peccato. I-  
ta enim in connexu colligit Paulus: Minime conuenit,  
ut in isto corpore, quod in fide reputatur ut corpus Christi  
peccato demortuum, atque est hominis ad Christum illumina-  
ti et conuersi corpus, peccatum in motibus suis uiuidissi-  
mum regnet et operetur. Corpus enim peccato mortuum  
peccato uiuere non potest. Quade re alio in posterum  
loco plura explicabimus. Atque in hunc deum  
sentium in Formula Concordiae afferitur: Impossibile esse  
bona opera a fide uera separare.

Eandem in sententiam posita sunt Lutheri uerba,  
quibus in epistolam ad Romanos ita praefatur: Der  
Glaube ist ein Göttlich Werk in uns/das uns wandelt/  
und neu gebteret aus Gott. Und tödret den alten  
Adam/macht uns ganz andere Menschen/von Herzen  
Mut/ Sinn und allen Kräften/ und bringet den hei-  
ligen Geist mit sich. O es ist ein lebendig/schafftig/thä-  
tig/mächtig Ding um den Glauben/das unmöglich ist/  
dass Er nicht ohne Unterlaß sollte gutes wirken. Er  
fraget auch nicht/ ob gute Werke zu thun sind/son-  
dern

dern ehe man fraget/hat Er sie gethan/ und ist immer  
in Thun. Wer aber nicht solche Werke thut/ der ist  
ein glaubloser Mensch. Statim uero indicat Vir elo-  
quentissimus, quomodo haec omnia ex ipso statu ho-  
minis, in quo ueram habeat cognitionem et fiduciam  
Christi, ultro consequantur: Glaube ist eine lebendi-  
ge erwegene Zuversicht auff GOTTES Gnade/ so gewiß/  
dass er tausendmahl darüber stürbe. Und solche Zu-  
versicht und Erfahrung Gottlicher Gnade macht frö-  
lich/ trostig und lustig gegen Gott und alle Creaturen/  
welches der H. Geist thut im Glauben. Dahero der  
Mensch ohne Zwang willig und lustig wird jedermann  
gutes zu thun/ jedermann zu dienen/ allerley zu leyden/  
Gott zu Liebe und zu Lob/ der ihm solche Gnade erzeigte  
hatt/ also dass unmöglich ist Werk vom Glauben  
scheiden.

Optime igitur Schomerus pro summa iudicandi,  
qua ualuit, felicitate, differuit, de uinculo tam *naturali*  
quam *moralis*, quo utroque fides et B. O. colligentur.  
*Ut evident epateat*, uerba ipsius sunt, *qua ratione Amor*  
*Dei ex fide fluat necessario, duplex eius cum illa uinculum*  
*docendi causa distinguimus, alterum naturale, qua affec-*  
*tivus est; alterum morale, qua effectivus est.* *Naturale uo-*  
*camus hoc loco, non quod homini sine gratia Spiritus*  
*S. inest, sed quo ex natura affectus fiducialis diui-*  
*nitus excitati sequitur per se, dum uitiae fidei, quam*  
*ab internis gaudii fiducialis motibus supra descripsi-*  
*mus, sicut amorem rei, de qua gaudemus, inuoluit,*  
*ita et amorem eius, qui gaudii causa est, qua talis, ne-*  
*cessario secum trahit;* *Quo plus enim natura agno-*  
*scitur beneficij, eiusque causalitas, de cuius nobis*  
*certi-*

certitudine gratulamur, eo impensius etiam amari benefactorem, certum est, secundum naturam et consilium illud, unde beneficium procedit, ita ut generaliter nemo beneficii alicuius sensu afficiatur, quin eo etiam amoris affectu trahatur. Qui amor et si primum omnis intra *concupiscentiae* terminos consistit, dum non tam Deum ipsum, quam fructum, ex illo captum, capiendumue respicit et pro ultimo fine non nisi nostram intendit felicitatem; Ipsa tamen contemplatio bonitatis diuinae diligentem, eamque sibi seruari uolentem, ulterius propellit, ut et Deum *propter se* ipsum amare discat.

*Morale fidei et amoris vinculum est, quod sola conuenientis recti atque honesti conscientia animo dicitat, dum intelligimus, omne beneficium esse obligatorium, idque ex natura subordinatorum, quod omnis in nos cuiuscunque rei aut potestatis concessio dirigat eius usum ad uoluntatem concedentis, quodque qui ab illa se uelit obligatione liberare, ex natura oppositorum tantum debeat retribuere posse, quantum accepit.* Nam idem Spiritus S. qui accendit in nobis desiderium, acceptationem et gaudium salutis nostrae, idem quoque excitat naturalis et aeternae huius honestatis considerationem, et ex consideratione animi studium, *Ioh. IV. 19.* neque alterum illum animi motum sine altero patitur radicari. Studium illud animi, in quantum dirigitur ad ipsum obiectum obligationis nostrae, ipse motus amoris est, quo Deo cupimus, quod ipsi debetur. Hinc est, quod in SS. B. O. proponantur non absolute ut *mandata* a Deo atque legi contienentia, sed ut nestriae qualitates, in quibus illi uiuere et comparere debent, qui extene-

bris, foedo et perniciose statu in lucem, in statum iustitiae, sanctitatis, et salutis ad Deum iustum et sanctum sunt traducti: Vt uirtutes et qualitates eorum, qui per pretiosissimam quandam redemtionem servi facti sunt redemptoris: Vt debita officia propter exhibita beneficia in amore Dei, redemptione et sanctificatione: Vt fructus eorum, qui a Spiritu S. ad salutem possidendum iam sunt conuersi, quod uel ceteris ex N. T. excitatis locis comprobari potest.

Aperte igitur et ingenuie confiteor, nullum unquam uerum et sincerum Theologum negasse superius dicta. Si affirmariat, fidem esse sine bonis operibus, fecerunt id distinctionis causa, et considerarunt fidem in se, natura sua omnino ab aliis uirtutum actibus distinctam: tum ad caput Regenerationis & Iustificationis respexerunt, ut ternere agant, et contra omnem Christianam charitatem, qui eiusmodi formulæ, de Fide absque operibus, usurpatas sine interpretatione autoris sui accipiunt, sugillant et iniquissimum in modum cauillantur. Quanquam ex altera etiam parte benignior saepius contrariae formulæ explicatio rixandi aut amplam altercandi occasionem praefendere potuisset. Dicamus: *Fidem esse necessariam ad salutem; Esse in se distinctam et natura sua non confusam rem cum operibus; Circumstare eam alias mentis sanctus que motiones; Bona Opera necessaria esse in via ad salutem.* Auertamus autem nos a praecipitiis istis: *Fidem nec ullo momento aut notione esse, nec concipi ullo statu posse absque B. O. Producit B. O. et procreari ex ipsa fidei essentia: B. O. esse ipsam fidem: B. O. esse necessaria ad salutem: B. O. esse perniciosa ad salutem.* Aut si talia usurpemus, adiiciamus cautiones. *Teneamus has Formulas,* inquit Liber

Liber Concordiae, ut neque renouatio, neque sanctificatio,  
virtutes aut B. O., tanquam forma, aut pars, aut causa ius-  
tificationis aut sub quatuorque praetextu, titulo aut nomi-  
ne, articulo iustificationis, tanquam ad eam rem necessaria  
aut pertinentia immiscantur: conf. Faust. de fide fruct. par.

## XI.

Fides eti in ordine gratiae et salutis, necessaria est,  
in isto tamen ordine ex conditione legis ri-  
gorosae, ut obedientia absolute legalis, ae-  
stimanda non est.

Vti Lex et Euangelium differunt plurium cau-  
sarum nexu, ita quoque fides legalis et euangelica  
Nam obligatio credendi in Christum non oritur ex  
pracepto *immediate* talis; hoc enim sensu praecipitur  
primo et simpliciter id, quod habet rationem operis  
in se et natura sua Deo debiti, quale opus est dilectio  
Dei et proximi; fiducia autem in Christum collocan-  
da exigitur non absolute, ut opus Deo debitum, sed  
propter superuenientem relationem, qua habet rati-  
onem mediæ capientis. Fides adeo magis in mo-  
dum consili ad bonum nobis utile suscipiendum, pro-  
ponitur, quam ad rationem praecepti legalis, in quo  
ad opera a nobis praestanda et maiestas Numinis at-  
que auctoritas reuerenda et obsequio honoranda ma-  
gis respectatur. Impii etiam condemnantur, non  
*immediate*, quod legem quasi fidei non seruauerint,  
sed quod non acceptarint medium et remedium con-  
tra perditionem, cui iam erant obnoxii. Tamen non

credere condemnat. Marc. XVI. 16. Ioh. III. 18. Legis obedientiam oportet esse perfectissimam: In fide multa saepe imbecillitas adest et toleratur. Lex fidei et gratiae dicitur in SS. ex communi uocis LEGIS usurpatione, atque in comparatione *Legis operum*. Vnum uocabulum de rebus plane diueris non raro adhibetur. Omnis doctrina est certo modo in literae significatione *Nous*, aliquid, quod proponitur, tribuitur et distribuitur ad suscipiendum. Atque ita etiam fides, Act. XVII. 31. XVI. 31. Luc. XXIV. 47. Causa ergo loquendum de lege fidei, Lege Euangelica, de obedientia fidei, Rom. I. 5. conf. B. Baierus disp. de *Lege Euangelica*.

## XII.

**Fides num conditio salutis consequenda recte dicatur, quaeritur.**

Quod si cum iusta cautione id fiat, recte id fieri, respondetur. Salus nostra consideranda est PRIMO ratione *praeparationis*, *fundationis*, *acquisitionis*, tum ratione *annunciationis* et *propositionis*, cum qua oblatione efficax etiam Spiritus S. est *operatio* ad fidem in ordine suo producendam. Hi gradus non suspenduntur a conditione *antecedanea*, stricte sic dicta legali, *activa*, *inridicula* aut *meritoria*, quae ab homine implenda esset. Siue enim credam, siue non credam, salus mihi tamen est acquisita, eademque etiam mihi offertur, atque ad suscipiendum commotio datur. Nunquam SS. harum rerum aut ueritatem aut falsitatem, si qua esset, suspendit a fide uel incredulitate nostra, quasi iliae

iae uerae essent, si crederemus, falsae, si non crede-  
remus. conf. B. Höpffnerus de Iustif. Disp 8. c. 2. aph. 1.  
§. 5. Dorschaeus Theol. Zach. cap. 5. §. 58. Rudrauff. Syllog.  
Controu. Dissert. 14. Quest. 19. Hunc in sensum Apologia  
A. C. Si promissio, inquit, requireret conditionem merito-  
rum, sequeretur, promissionem inutilem esse. Eandem in  
sententiam Lutherus dicit: Die Verheissungen haben  
keine angeheftete Condition oder Bedingung/ sondern  
auch nichts von uns / daß wir thun sollen. Comment.  
Mat. in Galat. IV. 24. DEINDE uero salus respicitur  
ratione ipsius additionis, ubi homo in ipsam felicitatis ae-  
ternae possessionem collocaatur, aeternum sine im-  
mutatione beatus futurus. Atque hoc sensu nihil  
impedit, quo minus fidem dicimus conditionem,  
non meritoriam quidem illam, sed dispositiua subiecti,  
conditionem organi uel instrumenti uel ordinis alii dic-  
tam, quae si adest, salus obtingit; si non adest, sa-  
lus non sequitur, sed condemnatio propter absentia-  
m instrumenti necessarii. Ita ipsa Scriptura s. in  
praesenti negotio particulis conditionalibus utitur, SI,  
NISI, QVATENVS, QVOAD, Exa. VII. 9. Matth. V. 20.  
XVIII. 3. Io. VIII. 24. 5. Rom. X. 10. Coloss. I. 23. 2 Tim.  
II. 15. 2 Petr. I. 4. Hebr. III. 6. 14. Ita non tantum salus  
ultima, sed et ipsa Regenerationis et Iustificationis et Ado-  
ptionis gratia, eiusdemque plena quasi effusio, et continua-  
tio non interrupta, suo gradu est conditionata, si homo  
operationibus diuinis ad fidem excitandam et  
conseruandam non resistat, aut negligens fiat in  
statu. Sane est adoptio gratuita etiam suo modo conditiona-  
ta, ac sit interuentu foederalis conventionis, si homo, qui ad-  
optari vult, credat, ita recte B. Höpffnerus. Si ultiro re-  
cipias, et teneas, plus datur; contra uero si resistas,

E 3 . . . id.



id, quod datum, rursus aufertur: Ita colligit Seruator Matth. XIII. 1. Sufficit adeo, si conditionis uocabulum in sensu *Pontificio, Sociniano et meritorio* hinc remoueamus, quod amplius a me fuit tractatum lib. de foed. p. 75. seqq.

### XIII.

Fides saepius imbecilla dicitur, et in statum luciae uenit.

Defectus adesse potest tum ratione *notitiae*, tum et *assensus*: uel credentis animum incessere possunt *haesitationes, dubitationes, angores* de gratia diuina, vt non adsit laetitiae sensus, unde fides uocatur *imbecilla*. Accurate autem loquendo illi defectus non sunt ipsius fidei; sed uersantur in re fidei, et circa fidem offenduntur. Dum enim adest fides, recipiens meritum Christi, eo actu et momento non adest dubitatio et haesitatio, et quo actu dubito, eo actu non confido. Ergo isti defectus non sunt ipsius actualis fidei praesentis, sed circa fidei naturam ueriantes. In summis uero istis animi angustiis magno solatio sufficit, adesse *feruidum gratiae diuinae desiderium*, quod ipsa est Christi acceptatio, et si incessantes perturbationes, subinde recurrentes, credentem adhuc conuicere, aut iugundo tranquillitatis sensu ipsum perfundi, nondum patiuntur.

### XIV.

Num Fides totum absoluat Christianismum, ut bona Opera tanquam pars essentialis constitutiua huc non pertineant, a quibusdam  
quaeritur. Res

Res omnis ad causam explicationem reddit. Ni-  
mirum si vox Christianismi sumatur de statu reconcilia-  
tionis et unionis hominis cum DEO, in qua communionem ha-  
bet cum DEO, in eiusq; gratia continua a constitit, per Chri-  
stum conservatur, et conquiescit, ita in fide hic omnia per-  
ficiuntur, neque eo bona opera, tanquam pars essen-  
tialis vel integralis trahi possunt. Atque hie titulus  
Christianismi etiam *primarius* et *maxime praecipuus* est,  
uti Christus in Christianismo praecipua ratione a no-  
bis respectatur, ut *Causa restauratae gratiae et reconciliationis*, non *immediate* et *primario*, ut uitae sanctae causa.  
Quod si uero considerare uelimus hominis reconciliati,  
et cum Deo communionem habentis, *uitam et officia debita* propter istam gratiam in Christo, res tolerari  
potest. Id tamen unusquisque uidet, utrique  
parti Christianismi titulum non aequa praestantia aut  
dignitate competere. Maximum enim, et praecipi-  
um, et antecedens et perfectum quid est status Re-  
conciliationis, quod de uitae Christianae statu non  
possimus confirmare. Ideoque hae partes sic dictae  
minime participant aequali ratione de toto suo,

ut utraque eodem modo essentialis o-  
mnino nequeat appellari.

¶ (O) ¶ (O)

SCHRICKFLIO SVO

prospera quaeque

comprecatur

L. CHRISTIANVS REVTERVS.

---

Qvod elegisti publicae dissertationis argumentum, gratum mihi fuit, et tractatu iucundissimum. Praecipua hoc ipsum diuinioris disciplinae castae Religionis capita attingit, et temporis, in confusionem harum rerum incenso, aptum deprehendebatur. Tum erat eiusmodi, in quo asserendo ingenii tui, ad optima quaevis enitentis, alacritatem publico etiam in loco comprobare posse. Habui per id interuallum, quod Seruestae commoratus sum, inter paucissimos, ut loci conditio affert, auditorem TE pari industria et auscultandi cura constantem, qui, praeter alia, doctrinas, ad Theologiam solidiorem pertinentes, distinctasque notiones, in KOENIGII et IAEGERI methodo expositas, incitato animo complexus es, ut confidam prorsus, optimas TE praemunitum in Academia progressiones facturum, et Consultissimi PARENTIS, AVIQVE TVI in Anhaltinis olim summo Cancellarii munere excellenriissimi uestigia ac uirtutes, haereditario quasi iure ad TE transmissas, in alio licet uiuendi genere, secuturum

rum esse. Deus, cuius TE gloriae amplificandae consecras, coepit fortunabit. Tu uero piae mentis deuotione et compositae uitae sanctimonia ueneraberis Deum, felicitati nostrae omnium optimè consulenti. Quanto enim quamque aucto uinculo nostra fides et salutaris Religio cum seria et sincera pietate innexa et deuincta teneatur, saepissime a me ostensum et commonefactum comprehendis, factoue etiam ipse, quod laetor vehementer, magis magisque comprobandum putas. Pergas amplius hunc in modum tractare studia. Legas et audias multa, sed inuestiges simul fundamenta rerum. Scripturae S. tractationem omnibus iudices, anteferendam. Habebis ibi, quae rimeris et submisse tandem mireris. In iis, quae in controversias hodie tracta sunt, cautionem, adhibeas semper, nec statim nouis adiicias mentem. Forma probabilitatis et imagine sanctitatis multa decipiunt. Noli fastidire antiqua. Nec omne tamen, quod recentius uidetur, aspernare. Anteceptis hominum opinionibus, quaeque sint, animum non subiicias seruum. Magna ueri specie multi et summicietiam aliquando fallunt. Iustorum hic prudentia opus est, quam censebis adhibendam. Patroni non sunt defuturi. Habes DEVUM gratiosum, et PRINCIPEM SERENIS-

F

SI-

SIMVM, CAROLVM VVILHELMVM, PATRIAE PATREM, Magnum bonorum ingeniorum et benignissimum Existimatorem. Nosti, quos Vitembergae confidenter adire possis. Cognouisti animum FEVSTKINGII NOSTRI. Eo proficiscaris, et in Domino laeteris. Ego Te absentem precibus uotisque, ut CHRISTIANVS CHRISTIANVM debet, prosequar, et rerum tuarum prosperitate cognita semper exultabo.



Aug VI 49 (1)

ULB Halle  
001 853 821

3



5b

VD 18

VD 17

Retro 1



28



Q. D. B. V.  
DE  
**FORMVLIS**  
**CAVTE LOQVENDI**  
*CIRCA*  
**FIDEM SAL-**  
**VIFICAM,**  
*PRAESIDE*  
**CHRISTIANO REVTERO,**  
 THEOL. LVTH. IVXTA AC METAPH. PROF.  
 PVBL. ET PASTORE AD AEDEM SS.  
 TRINITATIS APVD SERVE-  
 STANOS,  
*AD D. XIII. MAI. M DCC X.*  
 H. L. Q. C.  
*DISPVTABIT*  
**IO. CONRAD. CHRISTIAN. SCHRICKELIVS,**  
 SERVESTANVS, PHIL. ET THEOL. CVLT.  


---

 SERVESTAE,  
 TYPIS IOHANNIS DANIELIS MüLLERI,  
 ILLVSTR. ANH. GYMN. TYPOGR.